ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Virtute et natalium splendore perillustri viro,

D. Constantino Hugenio, Equiti, Toparchae in Zuilichem etc. S. P. D.

Nae ego Λήθης πεδίον sum, ac oblivionis, si Themistocli placet, artem, non dico percepi, sed innatam mihi, atque annatam circumfero! Adeo ut quaerendus jam sit dudum alius, qui artem memoriae me doceat, Raym. Lullius. Quid enim? Novissimis, quod omnino tamen et opus fuit, et apud animum constitueram, nullam Histor. Geograph. Chronograph. Musicesque mentionem feci; plane tanquam omnia haec nihil ad nos quicquam pertinerent. Quaestionem adhibere nihil necesse, habes confitentem reum, A. V. et damnandus, etiam meae sententia, videor. Veniae a. quia veniam aliquam, maxime apud Humanitatem tuam, meretur culpae confessio, et majori etiam cura sarciendae conatus, quod reliquum quid, operam dabo ut, si minus mature, saltem studiose nomen hoc expungam.

Ac Historiis quidem biduii moram Constantini febricula aliqua fecit: sed ea nunc, credo febriculosas, quas meditabar, diras versuta, abijt, excessit. Ille a. licet animi semper in studiis praesenti occupetur; majori tamen nunc animatus accedit et, ut Antaeus ille olim, robur et vires accepit ab ipso casu. Apud authorem nostrum, non tanquam in speculum in patinas Syrus ille Comicus, sed ut Philippus olim libertati Graeciae insidiatus e specula, in speculum rerum humanarum intuemur. Ego a. quia tanquam Hercules tanto Atlanti succenturiatos olim sibi commisit nobiliss. promittit patria, et aliis eadem onera solum jam nunc humeris sibi assuescant, quid facto usus aliquando quid vitato opus sit, quid laudi quid vitio detur, saltem externa linea notare sedulo moneo, qua possum pro mea sapientia:

Atque adeo quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando egerit, spectare autor sum.

Haec e. ut Polyb. gravissime censuit si quis ex Historia tollat, jam quod superest relinquit contentio aliqua, non doctrina erit, et in praesentia jucunditatis quidem fortassis aliquid, postea vero nullam prorsus ad vitam utilitatem praestabit. Philippi a. vulpeculae illius Macedonicae astutias imprimis juvat contemplari: Quippe hic commissis inter se Atheniens. Theban. Phocens. Corinth. Thessalis, alterius factionis partes tantisper defendit, donec data facultate utrasque civili bello intestinisque vulneribus fractas, attritas, confossas, nullo negotio opprimeret. Ita a Romanis quod nosti probe Mag. viror. semper factitatum: dum interim gloriabantur, se socijs defendendis terrarum dominos esse factos. Ita Turcarum toto orbe tremendum nomen Christianorum vel proditione constat crevisse, vel discordia. Et quid alios tango? Ita nostri, effecit, ut observavi etiam inter finitimos Macedoniae populi emergebat, ut Graeciae totius, ut Asiae deinde omnis imperio, ductu atque auspicijs soli, potirentur. Sed reprimo me: video e. haec ad eandem illam garrulitatem meam urgere, et suam membra aliquid narrare. Pergo. De Sicchi tamen nihil dico; namque silentium Constantinus pridem indixit, et utinam quae vellem loqui, per Christiani infelicitatem liceret! Infelicitatem, inquam: nam ille ut Ἄμουσος plane sit, ut nascenti non riserit Musarum pater, ut Musae non foverint gremio, nec Bellerophonteas perfuderit ora liquore Calliope; credat qui volet, non ego. In Musicis sane Stephanus (qui diligentissime quantum omnino videre possum nobiliss. discipulos instituit) dici nequit, quantopere Christianum depraedicet, efferat, admiretur; Constantinum quod doleo et mirari subit longe parcius praeco. Quo hic redeam equidem non invenio, nisi ad illud, Non omnia possumus omnes. In Geographicis Sicilia nos, Graecia et Macedonia tenent, quarum nunc regionum apud Justinum creberrima fere mentio est. In temporum ratione notanda, magnisque Epochis, et Periodis imperiorum observandis, cum Emmij Chronologia Carionis seu Melanthonis potius Chronicon comparamus: Atque ex eo nonnulla de Graecorum incrementis, et Macedonum incrementis delibamus: Omnino e. eos fortunasque utriusque gentis paulo altius repetere, atque accuratius commemorare videtur. Quod si non placet institutum hoc

A. V. vir prudentiss. causam non dico, sed ut decere tibi tria haec modo verba placeat, Aufer mihi ista, oro: aut quod de libr. Apollinarij ad se scripto Julianus ajebat, Ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων. Bene vale, vir Illustris. Hagae Com. XII Cal. Octobr. CIϽ IϽC XXXIX.

Amplissimo nomini tuo dicatissimus cliens

Henricus Bruno.

Anomalis quas quidem praescripseras, desideriis N. D. semper [illegible] dedit.
Neque video cur plures quam Mercurij ac Saturni diurnum horas desiderata sint flagitatura;
Cum jam ante multa usu (maxime majores duo) perceperant.

Hug. 37

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 9
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2238

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 9
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2238